

taxat idolorum cultores moriēs reliquit, quot inuenerat Christianos; sed nullum hæreticum, nullum Atheum, aut Deistam in tua Diœcesi quispiam inuenire possit, vt post adeptum de nefarijs homuncionibus triumphum meritò ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΟΣ appelleris. Ecquis enim summam perditorū hominum peruicaciā reprimat, qui non tantum Diuinitatem inficiantur, verum etiā mentiuntur illos omnes Atheos esse, qui consecuti fuerint doctrinam aliquam reconditiorem, ac si nullæ scientiæ, & artes absque nefando Atheismo possent subsistere, quem singulæ creaturæ tantopere detestantur. Hinc insanæ interrogationes, & spicula tartarea à cacodæmone fabricata, à perfidis euibrata cominus, dum fideles aggrediuntur; Vbi est Deus tuus? cur alium tibi fingis præter rationem? an numen aliquod abest, si sit prudentia? nunquid omnis cultus ideo fictus est, vt populus in officio contineatur? Hæc sunt, & id genus alia, quæ homines absque iugo, hominum meliùs *περὶ τοῦ θεοῦ μαται* dixero, insigni *θεολαβεία* velut œstro perciti effutiunt, vt adoriantur incautos, illisque suadeant fabularum instar habenda, quæ de vero veri numinis cultu verissimè creduntur, atque prædicantur. Miraris, vigilantissime Præsul, vnde tantum hominum flagitium hac ætate prodierit? Illud sanè vomuerunt hæreses (Atheorum propagines, & asyla) *quæ non aliunde orta sunt, Cypriano docente, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus index vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria diuina singuli obtemperarent, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens, ac tumens seorsum foris hæresim nouam conderet.* Quod vtinam vel semel hæretici, atque schismatici Deistarum, & Atheorum fautores seriò perpenderent, *Christi siquidem aduersarius, ex eiusdem effato, & Ecclesie inimicus ad hoc Ecclesie præpositum sua infestatione persequitur, vt gubernatore sublato atrocius, atque violentius circa Ecclesie naufragia grassetur, & pessundet omnia, si quando corruat Ecclesiastici regni κορυφαίος.* Tantum interest, vt membrorum sub eodem visibili capite, summo videlicet Pontifice, & Christi Vicario Gregorio XV, (qui te nuper desideratissimum Archiepiscopum creauit) eiusque successoribus vnitas mystica retineatur, vt singulis erroribus omnino discussis totus orbis terrarum colat ex animo rerum omnium autorem, & singuli foelicitate perfruantur, quam Dei misericordia præparauit diligentibus se, teq; singuli non solum Diœcesis, & Ecclesie Parisiensis dignissimū Prælatum, sed Atheorū, & cuiuslibet sceleris vindicem acerrimū inexplicabili amore, atq; veneratione præsequantur. Enimvero non solum Galli, sed & aliæ totius mundi nationes, te monstrorum domitorem, & ἀλεξίμεκον conuertēt oculos, & attoniti natiuum in vrbe Parisiensī Herculem prouidentiae clauo, fortitudinisq; clauo contra nefarios homines in hanc ciuitatem vndequaq; confluentes struem dimicantem suspicient, & à Deo præpotenti mutis orationibus tui Archiepiscopi regimen, atque præsidium ardentè exposcent

Lib. 1. ep.
3.